

VI.

Sub decanatu magistri Casparis Iungermanni interdictum communitati, ut est supra in decanatu ipsius annotatum, fuit, ne qua mutatio fieret doctrinae publicae, donec melior studiorum ratio inveniretur. Ac itaque saepe multumque agitata et deliberata, tandem certa quaedam forma praescripta fuit communitati a clarissimo viro domino Ioachimo Camerario, quamvis id ab eo aegre, ut qui se abhorrere a mutationibus diceret, obtineri potuit.

C 280. Ea forma cum approbata esset a tota communitate, transmissa est illustrissimo principi ac domino domino Augusto etc. Sed sub meo decanatu confirmatio illius ad communitatem non prolata fuit. Successori itaque meo id negotii relinquere coactus sum, qui statim sub initium sui magistratus a principe confirmata statuta recepit.

VII.

Cum de lectione Brutenica saepe consultatum fuisset, ortae etiam contentiones inter nationem Brutenicam et communitatem, ad utram partem proprie pertineat ius conferendi, tandem requisitum fuit a magistro Simone Gerth, ut ius suum natio, pro qua ipse solus pugnabat, literis edoceret. Erant enim quidam e numero seniorum communitatis, qui sancte affirmabant antea de consilio communitatis praefectum fuisse aliquem illi lectioni. Sed cum negaret se facturum, quod postulabatur, conclusit pro aequo ac bono facultas in posterum ius conferendi penes se esse debere et a se illam professionem impetrandam. *

1558 Sommersemester. 298. Decan Michael Barth von Annaberg.

N 155'. Michael Barth Annaebergensis, optimarum artium et philosophiae magister,
C 280'. legitima electione decanus communitatis artium factus est die decima sexta Aprilis Apr. 16. anno post natum salvatorem millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo.

Laudamus veteres, sed nostris utimur annis.

N 156.

De adiutoribus decano adiunctis.

Executores confirmati et decano adiuncti fuerunt:

mgr. { Simon Gerth Polonus
Georgius Masbach Bavarus
Caspar Iungerman Saxo.

Clavigeri eidem adhibiti:

mgr. { Georgius Masbach
Caspar Iungerman.

De professoribus¹⁾. Quid de statutorum mutatione antehac deliberatum et susceptum fuerit, de superiorum decanorum annotationibus et actis repeti potest. Mutatorum autem confirmatio, de qua alibi perscriptum est copiosius, et incoatio incidit in initium semestris nostri. Secundum illorum igitur quandam rationem effectum est, ut ita partiretur doctrina publica:

¹⁾ In C fehlt das Folgende. Es findet sich lediglich die Notiz: De professoribus perscriptum est in libro pergameneo.